



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An gratia Dei potest iterùm amitti. tit. 56

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

& tunc adhuc roga propter Christum tibi donari vitam, &c.

Christus natus est pro nobis, & oportet nos renasci, Ioan. 3. passus est in cruce, & nos nostram crucem portare debemus, Matt. 10. Luc. 9. Christus mortuus est, & nos peccato debemus esse mortui, Roma. 6. Resurrexit, & nos ad nouitatem vitæ resurgere debemus, Col. 3. Sic pro nobis passus est Christus, 1. Pet. 2. solus & semel redemit, nos vestigia sequi debemus, vt simus capaces beneficij Christi per hæc media. Alioqui nihil proderit mors Christi solùm externè credita.

AN GRATIA DEI POTEST

iterum amitti.

TITVLVS LVI.

DR Imò, Apostolus 2. Cor. 6. inquit: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. In vacuum autem est recepta gratia, quando nõ impetratur hoc ad quod est concessa, id est, remissio peccatorum & salus æterna. Sic Iudas accepit gratiam, Matt. 26. qui tamen se suspendit Matt. 27. Sic ciuitates, Bethzaida, Corozain, Capernaum, Matt. 11. quibus dicit Christus: Si tantæ virtutes factæ fuissent Sodomæ &c. Et Ioan. 5. inquit Christus sanato: Ecce iã sanus factus es, noli peccare, ne tibi deterius contingat. Et Matt. 21. dixit Christus Pharisæis: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Liquet ergo quòd gratia, qua Deus regnat in nobis, potest amitti per peccatum.

Secundò, hoc peccatum amissionis gratiæ, multò grauius est peccatum, & acrius punietur, quàm nunquam accepisse fidem aut gratiã. Sic inquit Christus Matth. 11. Tolerabilius erit Sodomæ &c. & 2. Petr. 2. Melius est nõ agnouisse veritatē, quàm agnitam iterum

M m s rum

rum amittere, vt canis ad vomitum rediens, Nam in fidelis Iudæus vno peccato infidelitatis, reus est mortis. At amittēs gratiam, in duplo est reus: semel, quia redit ad peccatū: subindè, propter vitium ingratiudinis. Gratia nō cogit hominem, sed gratuito primo datur ad aliquid, scilicet vt per illam hoc donum cōsequamur, quod cupimus, vti nos vult Deus gratia, & dat potestatem per illā consequi &c. Sic dicit Paulus 1. Cor. 15. Gratia eius in me vacua non fuit.

Tertiò, Ne accepta gratia iterum amitteretur, Apostoli vehementissimè admonuerunt. Idè semper post doctrinam gratiæ etiam docuerunt, quatenus illam custodiremus. Nam Roman. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, id est, excidētis è gratia. Et 1. Corinthior. sexto. Galat. 5. Ephes. 5. Qui carnalia agunt, id est, manifesta opera carnis, quæ etiam peccata dicuntur mortalia, &c. regnum Dei non possidebunt, nec partem habebunt in regno Christi & Dei. Non possunt igitur, hæc manifesta peccata stare cum gratia Dei, licet alia peccata carnis, id est, motus carnis, quibus si repugnamus, nō amittimus gratiam, tolluntur quotidiana oratione Matt. 6. Dimittite nobis debita &c.

Idè Apostoli etiam admonuerunt de medijs, quibus retineamus gratiā, scilicet 1. Cor. 5. vt epulemur agnum paschalem in azymis synceritatis. Heb. 9. commendauit conscientias nostras ad seruiendum Deo viuēti, 1. Pet. 2. Liuore eius sanati sumus, vt peccatis mortui, iustitiæ &c. Sic Zacharias Lucæ 1. Benedictus Dominus Deus &c. vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus &c.

Quartò, Hæc tamen magna est misericordia, quod amissam gratiam iterum per pœnitentiam acquirere possimus. Nisi enim Deus iterum velit nos recipere, non iuberet pœnitere, Marci 1. Neque Petrus præcepisset septuagesies septies remittere fratri offensa

sim, Mat. 18. Sic Dauid 2. Reg. vlt. Petrus Matth. 26. exempla sunt recuperandæ gratiæ.

Quintò inquires: Paulus scribit i. Hebræor. 6. Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt &c de illis loquitur, qui reiiciunt ex toto Euangelium & fidem, & amplius non auscultant, sicut Iulianus Apostata, Hymeneus, Alexander, Hermogenes, & tota Asia, 2. Timoth. 1. Sed aliud de his, qui non desperant, sed iterum redeunt ad fidem & gratiam. Maior est DEVS peccato totius mundi. Nemo igitur sequatur Cain, Genes. 4. qui dixit, Maior est iniquitas mea &cætera.

*AN EX GRATIA SALVARI
sine medio quis possit.*

TITVLVS LVII.



Imò hoc certum est & infallibile, quod omnis qui saluatur, ex gratia Dei saluatur, dicente Apostolo Roman. 6. Gratia vel donum Dei vita æterna. Et Petrus Acto. 15. Gratia Domini nostri Iesu Christi credimus saluari. Nemo ergo vnquam ex suis operibus sine Christo saluatus est.

Secundò dicere, Volo & cupio vitam æternam propter Christum ex misericordia Dei, & non propter mea opera, iustitiam & merita &c. potest dupliciter dici & acceptari: Primò, cupio sine omni medio operum meorum, Sacramentorum &cæt. saluari, & sic abijcere omnia opera & media, & velle solùm propter Christum & eius sanguinem saluari, & dicere, opera susq; deq; curo, in Christo certus sum de salute &c. Hoc falsum, carnale & dånabile est, cõtra quos loquitur Christus & Apostoli, Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine &c. Ad Tit. 1. Constitentur se nosse Deum, factis autem negant, hoc est per fidem tollere obe-